



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris
Petri Marchantii**

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 3. Quae nam sint obligationes Sacerdotum quatenus Sacerdotes sunt

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

Angelis & Archangelis: qui terram (inquit) incolunt atq[ue] in ea versantur, ijs commissum est, ut ea quæ in cœlis sunt dispensent: ijs datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neq[ue] angelis neq[ue] Archangelis datam esse voluit.

Articulus Tertius.

Quænam sint obligationes Sacerdotum quatenus Sacerdotes sunt.

1. **O**bligatio est: Quod sit rite Ordinatus, quia Christus solos Sacerdotes tanquam Apostolorum in Sacerdotio successores, hujus sacrificij ministros instituit, eisq[ue] præcepit per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem.

2. Ut Sacerdos impotentia ad essentia-
lia Sacrificij peragenda non laboret: unde
mutus, vel ita Balbus, ut formam verbo-
rum sacrificij pronunciare nequeat, mis-
sam celebrare non potest: item: verba
consecrationis ignorans, aut legere non
valens, vel materiam sacrificij moraliter
distinguere nesciens, à celebrando repel-
litur.

3. Ut

3. Ut voluntatem habeat conficiendi corpus & sanguinem Christi , adhibendo essentialia ad valide sacrificandum.

4. Ut sit absque peccato mortali : non tamen tenetur habere de hoc certitudinem evidentem, sed sufficit quod habeat aliquam certitudinem moralem : quâ facta morali diligentia , non appareat sibi conscientius alicujus peccati mortalis , hæc vero certitudo moralis, non excludit levem suspicionem vel formidinem de opposito : si vero Sacerdos urgente necessitate absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur. Id est quando absq; incommoditate , imo quando cum devotione & fructu poterit.

5. Ut sacerdos non sit impeditus censura vel pæna canonica , si enim sacerdos excommunicatus vel suspensus celebret missam, præter peccatum mortale quod committit fit irregularis.

6. Ut ab sit à Sacerdote omnis immunditia vel indecentia gravis & scandalosa corporis. Hinc pollutio nocturna vel diurna , voluntarie procurata ac per veram

H 3 pæni-

pænitentiam non eluta , impedit à celebra-
tione, non tamen pollutio inculpabilis, nec
etiam culpabilis , si per confessionem pec-
catum sibi remissum confidit.

7. Ut sit jejonus : Prærequisitur enim
jejunium naturale, ita ut nihil in stomachū
intraverit post medium nostrum actū vitali,
per modum cibi vel potus , aut medica-
menti ante celebrationem missæ. Hoc pre-
ceptum ex instinctu Spiritus S. processisse
(quamvis Christus non jejonus, post esum
Agni Paschalis corpus suum Apostolis tra-
diderit) testatur S. August. Epist. II. ad Ja-
nuarium. Placuit (inquit) Spiritui Sancto,
ut in honorem tanti Sacramenti , prius in os
Christiani corpus Dominicum intraret ,
quam exteri cibi. Non tamen qui os ablues
aliquot guttas aquæ deglutiret, censeretur
jejunium solvisse , tum quia actus vitalis
non est , sed per modum salivæ decurrit:
tum quia non sumitur per modum cibi vel
potus aut medicamenti activi, idem cense-
tur dicendum de eo qui globum, plumbe-
um deglutiret, ad sedandam colicam, dolo-
res & contorsiones iliorum.

8. Ut

8. Ut habeat intentionem formalem vel virtualem, non tamen sufficit virtualis intentio generalis, ad particulares actus consecrationis hujus panis, hujus vini, nisi etiam virtualiter ad hanc materiam determinetur.

9. Quando stipendium missarum est usu sufficiens, & constat de intentione Obligatoria ejus qui stipendium dedit, celebrans tenetur illi applicare titulo justitiae totum fructum satisfactorium missæ, juxta portionem quæ communiter applicatur.

10. Quod habeat scientiam & experientiam rituum essentialium, integratum, & accidentalium & attendat ne ullos horum ex contemptu vel negligētia omittat.

11. Ut non celebret in Ecclesia polluta, pollutionem vero illam inducit, injuriosa & gravis effusio sanguinis aut occisio hominis in Ecclesia. Item peccaminosa & carnalis humani seminis effusio voluntarie excitata, quocunque actu fiat, ut concubitu, excitatione per tactus & oscula: Item cum Excommunicatus, paganus, & infidelis non baptizatus in ea sepelitur.